

DISPUTATIO

15830

Ex L. rem majoris precii. 2. C. de rescin. vend.

Et ex c. cum caussa. 6. Ext. de emt. et vend.

aliisq; concordantib. Juris utr. textib.

Et editis ad ea Dd. comment.

desumpta.



Quam

CUM DEO

Ex decreto & auctoritate Amplissimi &
Consultissimi juris Antecessorum
Ordinis, in inclitâ Rauracorum
Academia

*Pro consequendis in utroq; jure Insignibus
ac Privilegiis Doctoralibus
Publicè habiturus est*

ELIAS THALVVENCELIUS
STRELENSIS SILESIVS,

Illustrissimæ Juventutis Palatinæ in Aulâ Bipo-
tinâ pro tempore Præceptor.

Ad Diem

XXIV. Julii.

In Collegio ICtorum.

Basileæ, Typis Conradi Waldkirchij.

Anno M. DCI.

s. jur. civ.

68, 11

Ex dono Cariss: collegæ Dni Cosmij Trinc

I L L U S T R I S S I M O
Principi ac Domino

D N. J O H A N N I
S E N I O R I

Comiti Palatino Rheni
Duci Bavariæ
Comiti in Veldentz &
Sponheim, &c.

Ecclesiarum & Scholarum Nutricio
Literarum ac literatorum Patrono

N E C N O N

I L L U S T R I S S I M I S
Ejusdem Filiis

Dn. J O H A N N I J U N I O R I
Dn. F R I D E R I C O C A S I M I R O
Dn. J O H A N N I C A S I M I R O

Dominis suis Clementissimis
& Macenati benignissimo,

Inauguralem hanc Disputationem

In debite gratitudinis testimonium
Et devota observantia monumentum

L. M. Q.


Offert
dicatq;

AUCTOR.

Aus der
Schloßbibliothek zu Oels
1885

Faint, illegible text on a yellowed paper fragment, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

THESIS PRIMA.

UM nō tam jure Divino interdictū sit: ne quis opprimat, & quæstui habeat in negotio fratrem suum: quàm jure naturæ æquum: neminē cum alterius detrimento & injuriâ fieri locupletior em. Et, ut alibi Tullius, alterius incōmodo suum augere commodum, magis sit contra naturā, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis.

II.

Ideò non solum, ut Apostolus asseveranter testatur, ultor est istorum omnium Dominus.

III.

Sed & à Diocletiano & Maximiano Imperatoribus summâ humanitate & æquitate introductum jus est: quo, re minoris venditâ quàm sit dimidia pars justî præcii, cogi possit emptor, ut vel id quod deest justo præcio suppleat: vel rem emptam venditori restituat.

IV.

His enim Illi verbis Lupo rescripserunt:

Rem majoris precii, si tu vel pater tuus minoris distra-
xerit: humanum est, ut vel precium te restituente em-
toribus, fundum venundatum recipias, auctoritate ju-
diciis intercedente: vel, si emtor elegerit, quod deest ju-
sto precio, recipias. Minus autem precium esse videtur,
si nec dimidia pars veri precii soluta sit.

V.

REI vocabulum in hoc rescripto de Immo-
bilibus dumtaxat magni nominis Cujacius
accipi voluit: Molinaus de mobilib. precio-
sis dumtaxat, non aliis. Verior tamē & pro-
babilior nobis videtur, recepta etiā moribus
Germaniæ nostræ, sentētia: ut hæc lex in omni-
bus reb. habeat locū, tam mobilib. quàm soli.

VI.

JUSTUM sive *VERUM PRECIUM* hīc in-
telligimus: Si vēditor min⁹ dimidio justī va-
loris rei vēdita acceperit. Verbi causa, si rem
x. aureis dignā, iv. vel minoris venū dederit.

VII.

In cuius estimatione tempus celebrati con-
tractus: minimè verò tempus traditionis aut
rescissionis, inspiciendum esse putamus.

IX.

Idq̄ nō ex affectione læsi aut singulorū: sed
ex

ex

ex usu & valore communi estimandum est.

I X.

Remedium hujus Constitutionis Majoribus x xv. annis regulariter competere, extra omnem controversiam est.

X.

Sed an idem quoq; Minoribus detur, non inter omnes constat. Verius tamen est, non dari: Cum habeant à Pretore proprium restitutionis in integrum, multò melius & liberalius hoc nostro, beneficium.

X I.

Simili modo hoc legis nostræ auxilium in venditore locum habere, verba illius manifestè ostendunt.

X I I.

Verùm emtori, si rem minoris precii, majoris emerit, id prorsus denegandū, idem Cujacius, sibi ipsi contrarius, censuit. Sed recepta est aliorum omnium Interpretum, etiam recentiorum, sententia, idem quoq; illi competere, & quidem haud immeritò.

XIII.

Cum enim id beneficii sit causa potius, non persona: Cur non etiam, quod juris statutum est in venditore, idem statuendum erit in emtore? praesertim cum eadem aequitatis ratio pro eo militet, quae pro venditore, ut scilicet succurratur enormi laesioni.

XIV.

Enormem laesionem in emtore plerique glossographorum eam definiunt: Si nimirum pro re, quae valeat x. iusto precio, XVI. solverit: Verum sententiae legis magis convenire dixerim, si tunc demum pro enormiter laeso emtorem habeamus, quando XXI. Et amplius expenderit.

XV.

Quae de emtione Et venditione diximus, in consimilibus quoque bona fidei contractibus locum sibi vindicare, à Dd. passim traditur.

XVI.

Qualis est cum primis Locatio Et Conductio: quae proxima est emtioni Et venditioni: iisdemque juris regulis consistit.

Rerum

XVII.

Rerum permutatio.

XIX.

Necnon rerum communium divisio.

XIX.

*Reperias tamen Contractus, ad quos hoc
rescriptum non pertinet, propter non interve-
nientem consimilem rerum estimationem.*

XX.

Cujusmodi sunt: Mutuum.

XXI.

Commodatum.

XXII.

Depositum.

XXIII.

*De transactione, utrum ea huc referri de-
beat, tam diversa sunt diversorum sententia,
ut rectè dixisse videatur Cagnolus, vix di-
gnosci posse, quænam ex illis sit receptior. Bar-
tolus enim, & multi alii, quos sequitur We-
senbecius, affirmativam tuentur. Plerisque ne-
gativa in puncto juris videtur verior: Ea quoque
moribus Camera Imperialis vigorem accepit.
Quæ causa est, cur & nos ab eâ, tamquam à viâ
publicâ, non deflectamus.*

A 4.

XXIV.

De donatione non minor est opinionum
discrepantia. Affirmativam plerique tenent:
Sed negativa Donelli & Connani, si rem re-
ctâ reputemus viâ, palmâ obtinere videtur.

XXV.

Major est difficultas de contractu Em-
phyteutico. Baldus quidem & Pinellus, a-
liique complures, in eâ sunt sententiâ, quod
tam Domino quam Emphyteuta ultra di-
midium læsis, auxilium hujus Constitutio-
nis minimè denegandum sit: Verùm nos, cer-
tis legum auctoritatibus permoti, non imme-
ritò ab illis divortium facimus.

XXVI.

Cæterum cujusmodi actio ex hoc Imperiali
rescripto nascatur, Dd. inter sese certant, &
adhuc sub judicelibus est.

XXVII.

Nonnulli Restitutionem in integrum
petendam censent.

XXIX.

Quidam nobile judicis officium implo-
randum statuunt. Alii,

Alii, inter quos est *Wesenbecius*, Conditionem ex lege dandam affirmant.

Nobis juri haud absonum esse videtur: Si cum *Acurtio*, quem probat *Cujacius*, actionem civilem ex emto cōpetere dixerimus.

Eamq; non ad quatuor solummodo, ut idem *Acurtius* censuit: sed ad XXX. annos durare.

Quā, vel ipse venditor, vel etiam haeres ipsius, postquam læsionem supra dimidium justī precii probaverit, petat aut justum precium sibi ab emtore, quod arbitrio suo committitur, suppleri: aut contractum rescindi, & mutuam restitutionem fieri.

Deniq; hæc Constitutio Officium suū perdit, quando quis sciens & deliberatò rem minoris dimidio justī precii vendit. Cùm nemo videatur fraudare eos qui sciunt & consentiunt.

XXXIV.

Multò magis, si expressis & disertis verbis huic juri & equitati pro se introducta renuncia verit.

XXXV.

Nec multum refert, renunciatio ista in eodem contractu & in cōtinenti apposita fuerit: an ex intervallo.

XXXVI.

Specialem autem & expressam hic requirimus renunciationem. Quae sub generali illa, quae cōtrahentes omnibus juris exceptionibus & beneficiis, omni deniq; legis auxilio renunciant, non continetur.

XXXVII.

Quòd si contrahentes sub religione Jurisjurandi asseveraverint, se à contractu nunquam recessuros aut contraventuros: queritur an stare ei debeant? Wesenbecius videtur velle quod non. Glossographi varias in medium proferunt distinctiones inter læsionem enormem scilicet, & enormissimam. Illam, quae aliquantulum excedat dimidium justiprecii:

precii: Hanc, quæ plurimum: Et quòd in hac,
non verò in illâ locum habeat. Quæ tamen
distinctio in Jure nostro non est fundata: in
quo tantum consideratur læsio ultra dimi-
dium, quæ certè & ipsa læsio videtur gravis-
sima, & , ut ipsi loquuntur, enormissima.

Proinde simpliciter existima verim, obser-
vandum esse juramentum, dum modò illud
neque dolo, neque metu sit extortum: neque
ex hoc beneficio rescindendam venditionem
juratam.

X X X I I X.

Tandem exspirat hoc remedium, si alter
alteri quantitatem quæ justum precium vel
excedit, vel eidem deest, liberâ voluntate
& expressis verbis donaverit, vel alio quo-
quo modo remisit.

F I N I S.



[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

Dissert. jur. civ. 568, 11